

141501

## L I C E N C I A.



On Philippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragon , de las dos Sicilias, de Hierusalem, de Navarra, de Granada, de Toledo, de Valencia , de Galicia, de Mallorca, de Scuilla , de Cerdeña , de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Jaen, de los Algarves, de Algezira, de Gibraltar Cõde de Flâdes y de Tirol. &c. Por quanto por parte devos el Maestro Francisco Sanchez Catredatico de Rhetorica, y Griego en la Universidad de Salamanca, nos ha sido fecha relacion , que vos auiaades trabajado en reducir a þue methodo y Eatin la Sphera, que antes andaua muy errada y oscura de lo qual hezistes presentacion , e nos suplicastes os mandassemos dar licencia para lo poder imprimir, o como la nuestra merced fuese. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos nuenamente fecha sobre la impression de los libros dispone fue acordado q deulamos mandar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razon, e nos tuulmos lo por bien. Y por la presente os damos licencia y facultad para q por esta vez qualquier impressor de libros que vos nombraredes pueda imprimir el dicho libro qde de suso se haze mencion por el original que en el nuestro Consejo se vio que varon ricado y firmado al caballo de Pedro capata del Marmol estro escriuano de Camara de los que en el nuestro Reyno residen , y con que antes que le vendays le trayais al nuestro consejo, juntamente con el original para que se corrija conel, y se os tasce el precio que por cada volumen ouieredes de auer, sopena de caer e incorrigir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes

de nuestros Reynos, de lo qual mandamos dar, y dimos  
esta nuestra carta sellada co' nuestro sello, y librada por  
los del nuestro consejo. Dada en la villa de Madrid  
a diez dias del mes de Noviembre de mil e quinientos,  
y setenta y nueve años.

Antonius Episcopus.

El Licenciado  
Fuenmayor.

El Doctor don Iñigo  
de Cárdenas Capata.

El Doctor Aguilera.  
El Licenciado Ximenez Ortiz.

El Licenciado don  
Pedro Portocarrero.

El Licenciado  
Riba de Neyra.

Yo Pedro Capata del Marmol secretario de  
camara de su Catholica Magestad la fize  
escreuir por su mandado con acuerdo de  
los del su consejo.

PERILLVSTRI  
D. D. Petro Portocarrero su-  
premi regij cōsilij senatori, Fran-  
ciscus Sāctius Brocens. S.

**N**O N̄ dubito, vir perillustris quim  
libelli huius inspecta parnitate, mul-  
ti sint dicturi, me tue autoritati  
velle detrahere, qui tanto viro tā le-  
se munuscūlū ausus sim dedicare. At tu, qui pe-  
rite librorū & carminum nō lineas numerare,  
sed ponderare sententias didiceris, sōgē alia tua  
munuscūlū nostrum examinabis. Primū enim  
synceri animi cādorem, qui tibi multis ante an-  
nis est notissimus, quiq; tibi multò maiora offer-  
re cuperet, cognouisti. Tum deinde libellum ti-  
bi offero, in quo totam cāli & terra machinam,  
Solis magnitudinem & defectus, Lunæ positū  
& labores, ceterarumq; stellarum cursus facile  
possis animaduertere. Plura his de rebus scripsit

Sacroboscus, id est plures chartas consumit, sed  
multo plura his nostris paucis paginis contine-  
tur. Ille in tempestate saepe extra chorum saltat:  
nos, quod ad artem spectat, dilucidè atq; Latinè  
disponimus. Ille hunc videtur sibi scopum propo-  
suisse, ut carmina poëtarum, Lucani præcipue,  
obscuraret: nos in gratiam poëtarum hoc opu-  
sculum edere curauimus: ut & poetæ veteres  
intelligantur, & venturis facillimè viam ad  
mundi mysteria preparemus. Grande nuper  
Franc. Innelinus de sphera volumen emisit, do-  
ctum illud quidē & laboriosum: sed in hoc ve-  
hementer displicet, quod omnia que ad mathe-  
maticas, quacq; in reliqua Astrologia subtilissi-  
mā sint, in sphera, id est in principijs que viam  
minunt ad Astrologiam, inferserit. Improbè  
faciunt, qui in Grammatica philosophatur, &  
in Dialectica vel Rhetorica, qui multi sunt, me-  
ras nugas obtrudunt. In artium documentis tra-  
dendis si nihil extra ordinem, nihil alienum ad  
misceretur, facilius & verius parvo temporis  
intervallo artes omnes perdiscerentur. Græma-  
tica Latine meis præceptis traditæ octo menses

ipsa

ipsa edoctus experientia, vel cœstantibus pueris  
constitui esse satis. Græcam Græmaticam meā  
nō totis viginti diebus saepe sum expertus com-  
prehendi. Totam, integram, perfectam Dialec-  
ticam & Rheticam, et si bis quotānis in  
Academia percurro, quā tamē priuatim doceo,  
intra duos menses facile absolui testes habeo lo-  
cupletissimos. Taceo de Musica & Philosophia,  
ne videar, quum verissima dicam, prodigiosa  
proferre. Ecce tibi nunc Sphæram ad artem &  
methodum redactam, quam si mediocriter at-  
tentus & diligens auditor octo aut decem scho-  
lis ad vnguem non percalluerit, credas hunc  
non ad literas sed ad caulas esse natum.  
Hæc eò tendunt, vir clarissime, ut qui ad regen-  
dam hominum vitam diuino quodam facto vi-  
dearis esse natus (bis enim te maximo cum  
gaudio sui rectorem celeberrima hæc Salman-  
ticensis Academia vidit: vidit & acre Callaicū  
regnum te per annos aliquot rectorem & mo-  
deratorem equissimum: nunc vero, unde ma-  
jora speramus, ad gubernandas cum alijs patri-  
bus tanti huīus imperij habenas te videmus

eo optatum) hanc quoque partem aspicere non  
graueris, in qua non leniter bonum magnum-  
que reipublicæ commodum periclitatur. Vale,  
Salmanicae, a. d. III, kal. Decemb. 1579.

IN ASTROLQ-  
giam, ex Ouidio. i. Faſt.  
libro.


Elices anima, quibus hac cognoscere primum,  
Inq, domos superas scandere cura fuit.  
Credibile est illos pariter vitysq, iocisq,  
Altius humanis exeruisse caput.  
Non Venus, & vinum sublimia pectora fregit,  
Officiumq, fori, militiaq, labor,  
Nec leuis ambitio, perfusaq, gloria fuso,  
Magnarum veſtumes ſollicitauit opum.  
Admouere oculis distantia sidera noſtris;  
Aetheraq, ingenio ſuppoſuere ſuo.  
Sic petitur cœlum, non ut ferat Oſan Olympus,  
Summaq, Peliacus ſidera tangat apex.

V N I V E R S I  
D I V I S I O.



Oc tam elegans, tam  
que mirabile naturæ  
opus, quod Mundū,  
ſive vniuersum appellāmus, duas in partes  
commodè diuiditur:  
quarum primam ex immenso æthere,  
& altissimis ignibꝫ, quos Sidera, &  
Stellas vocamus, conſtarē dicimus: aliā  
autē ex quatuor illis corporibus, quae  
dicūtur Elemēta, q, ex ijs omnia gignā  
tur, philosophi affīmarunt cōponi.

Quid Sphera, Centrum, Axis, Poli.



ET Æthera quidē  
Ipſum, ſive Cœ-  
lum appellare libet,  
nouem orbibus, aut  
potius globis conne-  
xum ita eſſe aiunt,  
vt exterior quisq; in  
A s terio-

## De Sphæra

teriorem complectatur & ambiat. Globus vero (sic enim Spheram interpretatur Cicero) forma solida est, cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. Alij sic describūt. Sphæra est figura vna superficie contenta, in cuius medio punctus est, á quo omnes lineæ ductæ ad peripheriam siue extremitatem sunt æquales. Atq; illud sphæræ medium Centrum appellatur. Quæ traiicitur vero linea per illud ipsum usq; ad extremitatem vtrinque Axis dicitur. Cuius extrema Polos (in illis enim verti & rotari cœlum existimant) aut vertices vocauere. Horum vnus, qui nobis perpetuo apparet, Arctius, Aquilonius, & Septentrionalis dicitur. Ille alter Antarcticus, Meridionalis, Australis: quem Cicero etiam Antaxona nominavit. De quibus in Georgicis Virgilius.

Hic vertex nobis semper sublimis: at illum  
Sub pedibus Styx atra videt, manesq; profundi-

De

## Mundi.

2



### De orbibus.

**C**loborum nomina, collocatio, & *Primum*  
**G**inatura sic ab antiquis explicātur. *mobile.*  
Extimus omnium (nam hinc videtur  
commo-

## De Sphæra

cōmodissimum incipere) qui reliquos coercet, & complectitur, à Grecis Anas̄tros, quòd nullis sideribus ornetur , à nostris Primum mobile dicitur. Cuius conuersio est concitatissima. Ab ortu enim ad occasum quotidie conuenienti continuaq; conuersione commeans nunquam cursus sui vestigium inflebit. Atq; eius ea natura est, vt visua reliquias omnes spheras complectens viginti quatuor horarum spacio quanuis reluctantēs contorqueat. Nam illę interim motione transuersa, & in hūc primæ sphæræ motum incurrente, vaga & mutabilitate labuntur. Continuasq; conuersiones duas ijsdem spacijs cursibusq; conficiunt.

Celum. Deinde est aliis, in quo infixæ sunt stellæ illæ, quæ quia non mouentur loco, sed suis sedibus inhærent, & perpetuò manent Aplanes, hoc est inerrantes appellantur. Et hic propriè Mundus siue Cœlum dicitur, Græce Cosmos ab ornatu.

## Mundi.

3

ornatu. Ab hoc antiqui homines reliquias omnes orbes intra viginti quatuor horarum spaciū conuerti crediderunt: & ita primum mobile appellārunt: quia nullum aliud in eo motum deprehenderunt. Postea verò discursu temporis stellas in consequentia moueri deprehendit Ptolæmeus in centū annis uno ferè gradu, ita vt tota circuatio triginta sex milibus annorum compleretur. Vnde fuit coactus nonā Sphēram superaddere. Iuniores insuper tū propter inæqualem æquinoctiorum præcessionem, tum propter differentiam declinationis Ecclipticæ, decimum orbem excogitarunt. Hunc tardissimum motum (qui quot annis absoluatur nondum est cognitum) antiqui magnum, siue maximum annum appellārunt: de quo Virgil.

*Magnis ab integro saeclorum nascitur ordo.  
Et quia magni anni magni mēses sint  
necessē est, dixit idem*

Et

## De Sphæra

*Et incipient magni procedere menses.*

*Planete.* Huic subiecti sunt alij septem, qui nūc incitātur, nunc retardantur, sēpe etiā insistunt: atq; ideo Planetæ, idest, errantes falso sunt appellati, quum in omni æternitate suos motus conseruent, ab occidente item in orientem in orbe *in Arato.* signifero constantes & ratos. De quibus sic Cicero.

*Quæ verbo, & falsis Graiorū vocibus errant:  
Re verò certo lapsu, spacioq; feruntur.*

Plinius in ipso aëre inter cœlum & terram planetas ferri & sentit, & ratione *Lib. I.* confirmat: cui consonat Manilius.

*Sunt alia aduersopugnantia sidera mundo,  
Quæ cœlum, terramq; inter volitātia pendet.*

*Saturnus.* Ex ijs vnū orbē possidet illa stella, quā Saturni nominamus: Phœnon à Græcis dicitur: quæ à terra plurimum abest, & triginta annis cursum conficit: terræq; diametrum dimidia parte superat.

*Jupiter.* Deinde est hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, iouis stella, quæ

*Phae-*

## Mundi.

4

Phaeton dicitur: eaq; eundem duodecim signorū orbem annis duodecim peragrat: terræq; diametrum plus dimidia parte superat. Huic autem proximè accedit Pyroeis, quæ stella Martis appellatur: eaque duobus annis diametrum terræ aliquantulum excedēs signiferum lustrat orbem.

*Mars.*

Proximam vero regionem Sol obtinet dux & princeps & moderator luminū reliquorum, tanta magnitudine, vt cū etiā sua luce lustret & compleat: terrāq; ipsam centum sexaginta duabus partibus excedens, cursus annuos peragit.

*Sol.*

Quem Venus si prægrediatur, Græcè Phosphorus, Latinè Lucifer dicitur: si vero subsequatur, Hesperus Græcè, Latinè Vesper appellatur. Cursum habet Solis celeritati parem: nec ab eo, siue antecedens, seu subsequens duorum signorum interuallo discedit, diametri terræ tertia parte maior.

*Venus.*

Infra hanc autem stella Mercurij est, *Mercurius* quæ

## De Sphæra

quæ Stilbon appellatur, quæ vertente ferè anno signiferum lustrat orbem, nec à Sole longius, tum antecedens, tum consequens vnius signi interuallo disiungitur, decimam diametri exæ quans partem.

LXXX.

Vltima omnium Luna terra ipsa tribus & quadraginta partibus minor nō toto menstro spacio lustrat orbem.

## De elementis, &amp; eorum situ.

**P**Ost æthera & sidera quarti or gene  
ra corporum antiqui indagauere,  
quæ vocarunt Elementa: Ignem, Aërem,  
Aquam, Terram, quorum vicissitudi-  
ne cuncta generarentur. Hæc itaque  
quasi partita habcant inter se & diuisa  
momēta, rerrena & humida suoptenu-  
tu & pondere ad pares angulos in ter-  
ræ centrum feruntur. Reliquæ duæ  
partes vna ignea, altera animalis rectis  
lineis in cœlestem locum, ipsa natura  
superiora appetente, subuolant. Sed in  
fra Lunam ignis sedes, qui ibi suum re-

tinet

tinet ardorem tenuem & nulla admis-  
sione concretum: parte vero inferio-  
re sui cum aëris extremitate coniun-  
ctum. Aer vero fusus & extenuatus in  
sublime fertur: tum autem concretus  
in nubes cogitur, humoremq; colligēs  
terras auget imbris: tum affluens  
huc & illuc ventos efficit, annuasque  
frigoris & caloris varietates. Terram  
in media parte mundi sitam ipsum ma-  
re appetens ita litoribus cludit, vt vna  
ex duabus naturis conflata esse videa-  
tur. Nam ex terra & aqua vnum soli-  
dum globum effici, nauigantium cur-  
sus facile deprehendunt, in alia aduer-  
so, in alia prono mari: subitoq; conspic-  
uis quæ in anfractu pilæ latuere side-  
ribus: & quod vmbra terræ marisq; , in  
quam incidens Luna, quum erigione  
Solis obscuratur, & deficit, rotunda in-  
ipsa Luna conspicatur. Oftus deinde  
& occasus siderum terra mariq; sati-  
ostendūt terram & aquam vnum glo-

Bum

# De Sphærá



bum efficere,  
quia non fiunt  
eodem tempore  
apud omnes : sed ut ait  
Virgilius.

*Georg. i.* Nos ubi primus equis oriens afflauit anhelis,  
Illic serarubens accendit lumina vesper.  
Hæc est huius vniuersitatis facies, summaq; descriptio . Nunc ut eius partes  
pleniū exequamur , de illius forma,  
motu,circulis, signorumque ortu atq;  
obitu disputabimus.

## *De formamundi.*


**H**icigitur formam mundi effector molitorq; Deus & maximè  
sibi cognatam & decorā dedit . Aquo  
enim omnes contineri vellet animan-  
tes,id ea forma figurauit , qua reliquæ  
formæ concludūtur, Et globosum est  
fabricatus, quod Sphæroides Græci vo-  
cant: idque ita tornauit, ut nihil effici  
posset

## Mundi.

6

posset rotundius, nihil vt asperitatis ha-  
beret, nihil offensionis, nihil incisum  
angulis, nihil anfractibus, nihil eminēs  
nihil lacunosum, omnesq; partes simil  
limæ omnium essent. Est & consensus  
in eo mortalium orbem appellatiūm,  
ipsum in specie absoluti orbis esse con-

globatum.  
Oculorum  
quoque pro-  
batione , q  
conuenient  
mediumq;  
cœlum sit,  
quacunque  
cernat: quū  
id accidere,



in alia figura non possit. Absurda insu-  
per, nisi cœlum esset rotundum , mul-  
ta contingent, ut ex his figuris lice-  
bit elicere.

## *De motu eius.*

Motum vero illi dedit eum, qui figuræ  
B 2 eius

## De Sphæra

cius esset aptissimus, quiq; vnus ex se-  
p̄em motibus mentem atq; intelligē-  
tiāt cohibet maximē. Itaq; vna con-  
juerſione atq; cadē ipſe circum ſector-  
quetur & vertitur. Id quod maximē de-  
clarant ſtelle quæ circum polum ferū-  
tur nunquam occidētes, quas in orbē  
torqueri ſingulis noctibus cernimus.  
Sed enim duo illi tribuunt genera mo-  
tus, vt in ſuperioribus oſtendimus.

### De Zodiaco, & duodecim signis.

Zodiacus. Id era tam mundo hærentia, quam  
illa ſeprem, quæ falſo dicuntur er-  
rantia in contrariam labuntur primi  
mobilis conuerſionem: ſed errantia in  
tra cinguli cuiusdam metas expatian-  
tur, qui Græcis Zodiacus, Latinis Sig-  
nifer appellatur.

Ecliptica. Huius signiferi mediū (nam ſexdecim  
gradus in latum patet) orbis quidam,  
quæ ſola via Solis eſt, ſecat, quem Sola-  
rem circum, ſeu Eclipticam ſolemus  
nominare. Reliqui vero Planetæ nunc

huc

## Mundi.

7

huc nūc illuc (intra tamen Zodiaci la-  
titudinem) ſuos cursus metiūtur. Iam  
vero Zodiacus ipſe in duodecim par-  
tes à Mathematicis diſtribuitur: qui in  
eo quafdam animalium formas ex ſide  
ribus deſcriptas ad notarunt, quæ Zo-  
dia Græcè, Latinè Signa diſtinctionis  
gratia nominarunt: ea ſunt demetata  
paribus ſpacij, atque hoc ordine di-  
ſpoſita.

*Aries, Taurus, Gemini, Câcer, Leo, Virgo.*

*Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aqu-  
arius, Piscis.*

Singula vero signa triginta partes ſeu  
gradus habent in longum, Atq; ita ro-  
tus Signifer tercentum ſexaginta gra-  
dibus absoluitur.

Sed illud aduertendum: hanc Planeta-  
rum conuerſionem ad occidentem  
non in polis fieri priuilegiis sphæræ, quos  
vulgo polos mudi vocamus, ſed in ip-  
ſius Zodiaci polis, qui à mundi polis tri-  
bus & viginti partibus cum ſemiffe di-

B 3

ſtant.

*Signa.*

## De Sphæra


stant. Hic dubium inuenere Mathematici, quomodo significet particula IN, quando dicimus: Solē esse in Ariete, aut in TAUro, quum præcipue signa ipsa supra Planetas omnes constituantur. Ac primo poetæ fingunt, duodecim illa signa esse veluti solis currus, quibus velut equis dispositis ad anuum cursum peragendum utatur. Vnde signum dicitur gestare Solem, si Sol est in illo; diciturque leue, quum à Sole relinquitur. Quid.

*Iam leuis obliqua subsedit Aquarius Urna.*  
Dicitur etiam poëticè: Sol tenet signū aut premit. Deinde verò, quum stellas errantes in aliquo signorum esse dicimus, sub signo planè intelligimus: si vero alias stellarum in Ariete dicas esse in Arieti regione atq; terminis erit intelligendum. Fingunt enim Astronomi sex circulos per initia signorum duos signiferique polos secantes, qui duodecim signa distingunt: vt si peponem

## Mundi.

8

nem in duodecim e<sup>qua</sup>les partes dissecemus. Ita fiet vt quævis stella, quantumvis à Zodiaco distet, in signo aliquo esse dicatur.



## De Horizonte.

**N**eque vero in hac coelesti parte huc solum orbem fingere, atq; concipere animo debemus: sed & alios etiam, qui res in cœlo maxime illustres designant & ostendunt. Qualia sunt, dierum & noctium vicissitudines, temporum commutationes, dierum & noctium inæqualitas. Quorum orbium alij maximi appellatur, iij videlicet qui

B 4

sphæram

# De Sphæra

Sphæram medium diuidunt: alij minores, qui in partes non omnino æquales dispescunt. Maximorum ille primus occurrit, qui mundum in duo quasi hemispheria diuidit, & aspectum nostrū definit: vnde Finiens siue Finitor à nostris, Horizon à Græcis nuncupatur. Hic vero tum Rectus dicitur, tum Inclinatorius, siue obliquus. Rectus dicitur, quum poli mundi utrinque; Horizonta contingunt. Tunc enim sphæram rectè conuerti & rotari cernimus. Obliquus verò est, quum polarum alter tollitur ab eo, alter deprimitur, vnde cælum videtur inclinatum.

*De Meridiano circulo, itemq; de Zenith,  
& Nadir, & linea meridiana.*

**I**nc aliis orbis ad pares angulos secar, qui quū sit è maximis, mundum & ipsum medium diuidit. Dicitur per mundi polos perque horizontis vertices: A nostris dicitur Meridianus, quia quum Sol quotidiana conuersio-

# Mundi.

9

ne ad hunc orbem peruenierit, meridies sit in sua cuique regione. Huius circuiti summam partem, quæ nobis vertex est, Zenith Arabes vocarunt: contraria vero, quæ nostris pedibus respondet, Nadir. Inter duos meridianos, quorum alter sit orienti propinquior, dicitur Longitudo locorū duorum. Si distantiam illā in æquinoctiali consideremus. Declinatio vero ab Äquatore, quæ dicitur per lineas parallelas Äquatori, Latitudo locorum nominatur.

Si meridianam lineam tuę ciuitatis perpetuam cupis indagare, describe circulum in plana fixaque superficie, in cuius centro sit stylus ad angulos rectos aptè collocatus, sitque aliquantulū minor, quam circuli semidiameter. Anre meridiem diligenter obseruabis stylī umbram circulum attingentem, ibique notam apponito. Post meridiem cadē adnotato. Illud interuallum no-

B s tarum

# De Sphæra

carum diuide medium, & per illud me-  
dium & circuli centrum lineam du-  
ces meridianam. Atque hi duo modò  
dicti orbes, etiam si singulis ciuitatib⁹  
stati atq; fixi sint, varietatem maximā  
habent, quoniam ad cuiuscunq; homi-  
nis mutationem variantur: ideoq; ex-  
tra sphæram ipsam intelliguntur.

## De circulis Arctico, & Antartico.

**A**TILLI qui in ipsa sphæra describū-  
tur, paralleli sunt, id est æquidistā-  
tes omnes, eosdem, quos ipse mundus,  
polos habentes. Horum primi, quan-  
uis sint inter se æquales, non tamen  
omnibus in locis sunt ijdem: sed pro-  
nostri horizontis varietate aliás maio-  
res alias minores intelliguntur. Nam in  
nostro terrarū tractu cœli verticibus  
sunt viciniores, vnde Arctico & Antartico  
Arcticus, Æticus appellatur. Arcticus itaq; dicitur  
ille circulus, qui cōfinia horizōtis con-  
tingens totus appetet, sideraq; omnia  
quæ in aperto sunt, continet. Antartici-

CUS

# Mundi.


10

cus verò totus sub horizonte deprimi-  
tur, ea sidera in se continens, quæ nun-  
quam apparebunt. Atq; hæc vera est  
horum orbium à Proclo & antiquis  
nobilitata descriptio. Recentiores ve-  
rò a Zodiaci polis in mundi conuersio-  
ne aiunt eos designari, tantumq; sem-  
per à mundi polis distare quantum sol  
stitalia puncta ab æquatore distent.

## De æquatore sive æquinoctiali circulo.

**M**EDIUS horum orbium, & à mun-  
di polis æqua vtrinq; distantia  
parallelus maximus ducitur, Æquino-

ctialis, sive Æ-  
quator appel-  
latus. Quia  
quum ad eū  
Sol accedit  
(quod in pri-  
mis partibus  
Arietis, & Li-  
bræ contin-  
git) dies noctibus æquantur. Hunc ille  
signo-



## De Sphærā

signorum orbis, quem diximus, medius medium fecat; ab eoq; in Septentrionē & Meridiē declinat: vnde regio illa Boreales, hæc Australis dicitur.

### De Solsticio, & Bruma.

**S**VNT præterea duo alij orbes paralleli, nec maximi, Solstitialis, Brumalisq; dicti. Nam quū ab Ariete in Aquilonarem regionem Sol longissimè abscesserit, idest, quum primam partem Cancri attigerit, Solstitialē efficit orbem: & eo tempore Solstitione esse dicimus: sicut enim Sol cursum suū, & finem se altius efferendi facit: estq; is dies in toto anno maximus. At vero quum à Libra ad Austrum maxime accedit, quod in principio Capricorni cōtingit, Brumalem orbem simili cōuersione describit: & id tempus Latini nō Solstitione (vt iuniores) sed Brumam à breuitate appellarunt: vtramq; discesionem maximam declinationem Solis esse dicimus. Ridiculè quidam duo

alta

## Mundi.

11

alta, duo imas solstitia sub Äquatore habitantibus confinxerunt, illo Lucani loco decepti.

*Deprensus est hunc esse locū, quo circulus alteri Solstitionis medium signorum percutit orbem.*

Loquitur hic Lucanus de Ammonis templo, qui ferè sub Cancro est. Medius autē signorū orbis Ecliptica est, vt ex Procli sphæra facile colligitur.

### De duobus coluris.

**G**RÆCI qui primi sphæram inuenient, quum torridam Zonam nō crederent posse habitari, hos duos circulos Coluros, idest, curtatos aut imperfectos vocauere: quum re vera integrī sint atq; perfecti. Quorum unus (sunt autem ambo ex maximis) per prima puncta Arietis & Librae, perque polos mūdi ductus, Colurus distinguēs Äquinoctia nuncupatur. Alter per initia Cancri & Capricorni perq; polos & mundi & Zodiaci descriptus Solstitione & Brumā ostendit. Diuidunt autem

Lib. 5.


## De Sphæra

autem Sphæram in quatuor æquas par-  
tes, & commutationes temporū qua-  
dripartitas ostendunt, Ver, Æstatem,  
Autumnū, & Hyemē.

*Quoniam vertex noster ab æquatore distet.*

**V**æ sit in qualibet regione poli al-  
titudo supra horizontem facile  
ex instrumentis indagari potest. Quā-  
tum igitur ab horizonte ad polum fue-  
rit interuallum, tantum vertex noster,  
qui Arabicè Zenith dicitur, ab æqua-  
tore distat. Nā  
quadrans colu-  
ri solstitialis ab  
æquatore ad  
mundi polum  
æqualis est qua-  
dranti (in eodē  
circulo) horizō-

tis ad verticem. Tum verò, si ab æqua-  
libus æqualia demas, vel idem commu-  
ne, quæ remanent erunt æqualia. In  
hoc igitur Coluro interuallum à ver-  
tice



## Mundi.

12

tice ad polum cōmune est, quo demto,  
reliquæ partes, id est arcus ab æquato-  
re ad verticem, & ab horizonte ad po-  
lum erunt æquales.

*Designis cœlestibus.*

**E**stat inerrātum maxima multi-  
tudo, quæ nocturnam Cœli for-  
mam vndiq; sideribus ornat, atque di-  
stinguit. Quorum ita descripta distin-  
ctio est, ut ex notarum figurarum simi-  
litudine nomina inuenient. Quæ his  
carminibus volui comprehendere.

*Ad Boream geminas trux Anguis separat Arctos:*  
*Cepheus, Arctophilax, Alcides, Cressa Corona.*  
*Et Lyra, cum Cygno, Perseus, tum Cassiopea:*  
*Auriga, Anguitenæ, eins Draco, Delta, Sagitta:*  
*Præpes, Delphis, Equi pars, Pegasus, Andromedæq;*  
*Post Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo:*  
*Libra, Scorpius, Arcitenens, Caper, Vrñula, Pisces.*  
*Eridanus, Cetus, Lepus, Orion, Canis ardens,*  
*Cū Procyo, Argo, Hydr<sup>9</sup>, Crater, Coruusq;, Lupusq;*  
*Centaurus, cum Pisce alio, Ara, aliaq;, Corona.*  
Sunt igitur imagines cœli octo & qua-  
draginta. Ex quibus duodecim in Zo-  
diaco

## De Sphæra

diaco collocantur. In Boreali parte vna & viginti, in Australi quindecim. Harum porrò imaginum stellæ mille viginti duæ diuiduntur in quindecim primæ magnitudinis: in quadraginta quinq; secundæ: in octo & ducentas tertiae: in quadringentas septuaginta quatuor quartæ: in ducentas decem & sex quintæ: in quadraginta nouem sex tæ: in obscuras nouem: in nebulosas quinq; in Comam Berenices.

### De ortu & occasu signorum.

**O**Mnis autem ratio Signorum obseruata est ex ortu siderum & occasu. Ex ortus occasusq; binis modis intelliguntur. Aut enim aduentu Solis occultantur stellæ, & conspici desinunt, aut eiufde abscessu proferunt se. Emersum hoc melius, quam exortum consuetudo dixisset, & illud occultatione potius quam occasum. Alio modo quo die incipiunt apparere vel desinunt oriente sole, aut occidente, Matutini, vesper-

## Mundi.

13

vespertiniq; ortus & occasus cognomi nati. Illum priorē Heliacū, hosvero Cosmicos & Acronichos appellauere. Heliacum ortum, idest solarem describit Ouid.

*Iam lenis obliqua subsedit Aquarius vnde.*  
Signum enim dicitur leue, quum à Sole relinquitur & videri potest. Occa sum Heliacum innuit Virgil.

Georg. I.

*Gnosiaq; ardantis decadat stella corona.*  
Nam decadere, idem est quod cedere, idest, ut sic dicam, deficere. Nam Corona in Scorpione est, qui tunc Solem gestat. Idem.

Georg. I.

*Et auerso cedens Canis occidit astro.*  
Idest Canis occultatur, propterea q; Sol est in Tauro, quod signum dicitur auersum, quia præpostre oritur. Hæc, contrā ac alij, exposuimus.

Cosmici ortus siue Mundani exemplum est apud Virgilium.

Georg. I.

*Cædido auratis aperit quū cornib⁹ annū Taur⁹.*  
Idest, quum Sol est in Tauro, & mane C appa-

# De Sphæra

*Georg. i.* apparet. Cosmicum occasum signifi-  
cat idem Virg.

*Ante tibi Eos Atlantides abscondantur.*

*Hoc est matutino tempore. Huc re-  
spexit Lucanus.*

*Tunc nox Thessalicas vrgebat parua sagittas.  
Id est nox breuis vrgebat Sagitarium,  
vt Cosmicè occideret, nam Sol gestaba-  
tur à Geminis.*

*Acronychi ortus, id est nocturni exem-  
plum habes apud Ouid.*

*Quatuor Autumnos Pleias orta facit.*

*Nec obstat si Virgilius Pleiades in Au-  
tumno dixit abscondi, Ouidius autē  
oriri. Nam Virgilius Cosmicum occa-  
sum intellexit, Ouidius vero Acrony-  
chum exortum, quod eodem die po-  
tuit contingere. Vespertini occasus  
sit exemplum illud Ouidij lib. i. Trist.*

*Tingitur Occano custos Erimanthidos vrsæ  
Æquoreasq; suo fidere turbat aquas.*

*Arctur⁹ enim occidit infine octobris.*

Tabella

# Mundi.

14

## Tabella ortus & occasus cosmi- cè & acronychè.

<i>Duo decima fere die horū in eūtū signa huc orientur Acronychè, opposita occidunt.</i>	<i>Martius.</i>	<i>Aries.</i>	<i>September.</i>
	<i>Aprilis.</i>	<i>Taurus.</i>	<i>October.</i>
	<i>Maius.</i>	<i>Gemini.</i>	<i>Nouēber.</i>
	<i>Iunius.</i>	<i>Canceris.</i>	<i>December.</i>
	<i>Julius.</i>	<i>Leo.</i>	<i>Ianuarius.</i>
	<i>Augustus.</i>	<i>Virgo.</i>	<i>Februari⁹.</i>
	<i>Septēber.</i>	<i>Libra.</i>	<i>Martius.</i>
	<i>Octōber.</i>	<i>Scorpius.</i>	<i>Aprilis.</i>
	<i>Nouēber.</i>	<i>Sagittarius.</i>	<i>Maius.</i>
	<i>December.</i>	<i>Capricorn⁹.</i>	<i>Iunius.</i>
	<i>Ianuari⁹.</i>	<i>Aquarius.</i>	<i>Julius.</i>
	<i>Februari⁹.</i>	<i>Pisces.</i>	<i>Augustus.</i>

*O*pposita signa ex versibus Lucani,  
quos statim apponam facile intelli-  
gentur. *Non obliqua meant. Et c.*  
Ortus vero & occasus Heliacus per introi-  
tum Solis in signa p̄spictuè intelligitur.

*Rectenè an oblique signa oriuntur.*

*A*stronomi, Poetæ, teiq; rusticæ scri-  
ptores non solum ortus & occasus  
signorum considerant, sed etiam rectenè,

*C 2 an obli-*

## De Sphæra

an oblique orientur distingunt. Signū igitur rectè dicitur emergere supra horizontem, cum quo maior pars æquatoris quā Zodiaci exoritur, Oblique autem contra, si maior Zodiaci pars exoritur. Eadem de descēsu sit ratio. Sed qui rectus & obliquus horizō est, in recto quartæ illæ coluris distinctæ æqualiter emergunt & finiunt, partes vero intermediae nequaquam: sed in temporibus æqualibus dispare portiones ascendunt. In horizonte obliquo non habetur quartarum ratio, sed duo solum media signiferi ab æquinoctijs auspicata æquales ascēsus metiuntur. Et quā intermedia sint dispara, æqualiter tamen peroriūt. Æquator siue in recto siue in obliquo finitore qualibet hora quindecim partes ascēdit: at Zodiaci diuersa est ratio. Illud etiā ad uertēdū in horizonte obliquo, signaque rectè oriuntur, habere signa opposita obliq; descendentia, & contra. Sed in ip-

so

## Mundi.

i 5

so æquatore signa opposita æquales & ascensiones & descensiones habent, q̄ apte descripsit Lucanus, sed male intelligitur, quia eius carmina transposita legebantur. Loquitur autem primo de templo Ammonis, quod est sub tropico Cancri postea de illis, qui sunt sub æquatore.

Hic quoq; nil obstat Phæbo, quum cardine summo stat librata dies: truncum vix protegit arbor.  
Tam breuis in medium radijs compellitur umbra.  
Deprensum est hunc esse locum, quo circulus altis  
Solsticij medium signorum percutit orbem.  
At tibi quacunque es Libyco gens igne directa  
In Noton umbra cadit, qua nobis exit in Arcton.  
Teseignis Cynosura subit, su secca profundo.  
Mergi plaustra putas: nullumq; in vertice summo  
Sidus habes immune maris: procul axis uterq; est:  
Et fuga signorum medio rapit omnia cælo.  
Non obliqua meant, nec Taurō Scorpions exit.  
Rectior: aut Aries donat sua tempora Libra:  
Par Geminis Chirō: & idem quod Carcinos ardens  
Humidus Ægoceros: nec plus Leo tollit virgas:  
Aut Astræa iubet lento descendere pisces.

C 3

De die

alij circulos parallelos vocant ) motu violento à tropico ad tropicum perficit. Hi circuli dierū & noctium arcus nominantur. In Sphæra recta semper dierum arcus supra horizontem noctium arcubus æquantur. At vero in obliqua (quauis horizon æquatorem semper in duas æquas portiones diuidat) ab Ariete ad Cancrum in situ nostro arcus dierū paulatim crescentes noctiū arcus superant: contraque dies à Libra ad Capricornum à noctibus superantur: Sole tamen in Arietis initio aut Libræ residente dierum ac noctium arcus semper æquales inueniuntur. In ijs autem Zodiaci partibus, quæ à Libra, vel Ariete in diuersa distantia æqualiter, quantus fucriit ex

C 4

yno

## De Sphæra

*De die naturali atq; vulgari.*



**E**X ascensu & descensu signorum, & ex motu Solis in Zodiaco duplex dierū ratio intelligitur. Dierum igitur alij naturales, alij artificiosi. Dies naturalis est tempus illud, quo æquator semel circa terram circunfertur, cū tanta tamen Zodiaci parte, quantum

Sol motu suo proprio percurserit.

Hic quotidianus Solis decursus varius est, neq; semper idem: vnde fit ut dies ipsi naturales sint inter se dis-

spares. Hunc diem alij ciuilem nuncupant: quem maximum esse primo Februarij die obseruauimus.

*Vulgari* *dies* *artificiosus* sic intellegitur. Quum Sol motu suo partes inæquales quotidie in Zodiaco perambuleret, centum octoginta duas ferè spiras (alij



# De Sphærā

vno arcu dies, tanto nox in altero repe-  
rietur. Itaq; maximo in Cácro diei, nox  
in Capricorno respondet æqualis.

## *De horis.*

**Q**uoniam de diebus egimus, con-  
sentaneum erit, vt de horis etiā  
pauca dicamus. Horarum aliæ  
æquales, aliæ disparates, siue horæ Plane-  
tarum dicuntur. Äequalis hora est diei  
ciuiiis vicesimaquarta pars: Idest, spa-  
cium illud, quo quindecim æquatoris  
partes supra horizontem emergunt. His  
nos passim in horologijs utimur. Solēt  
hę hore in sexagenas particulas diuidi,  
quę horarum minuta vocantur. Et mi-  
nuta diuidūt in sexagenas secundas:  
Astronomi horis Planetarū siue inęqua-  
libus utūt pręcipuę in electionibus.  
Est igitur Planetarum hora duodeci-  
ma vulgaris diei pars, qua quindecim  
Zodiaci partes supra horizontem ascē-  
dunt. Omni autem die (siue breuis, seu  
longa illa sic) sex ascendunt, sexq; descē-  
dunt

# Mundi.

17

dunt, signa. Vnde si longissimam  
vel breuissimam diem in duodecim  
partes diuiseris, duodecima illa pars  
magnitudinem horæ planetarum illo  
die declarabit. Sole tamen in Arietis  
principijs, atq; Librę commorante vul-  
garcs & Planetarum horæ inueniun-  
tur èquales. Dicuntur verò Planetarū,  
quia vnamquanq; ab aliquo Planeta  
credebāt gubernari. Nā die dñica pri-  
ma hora Solis est, secūda Veneris, &c.

## *Hora Sabbati.*


1	Saturnus.	1	Mercur.
2	Iupiter.	2	Luna.
3	Mars.	3	Saturnus.
4	Sol.	4	Iupiter.
5	Venus.	5	Mars.
6	Mercurij.	6	Sol.
7	Luna.	7	Venus.
8	Saturnus.	8	Mercurij.
9	Iupiter.	9	Luna.
10	Mars.	10	Saturnus.
11	Sol.	11	Iupiter.
12	Venus.	12	Mars.

Post Martem sequitur Sol qui primam horam de-  
minicam obtinet.

# De Sphæra

*De variis situ gentium, & vmbbris.*

**Q**ui sub æquatore habitant semper horas Planetarum & vulgares æquales habent. Sol bis in anno tangit eorum verticē, quū Arietem & Libram ingreditur. Bis item ab eis digreditur, quum in Cancro, & Capricorno detinetur. Atq; ita sunt qui dicant illos duas h̄yemes, duasque æstas habere: sed multo rectius dicimus, illis se per dies ac noctes eodem tenore fluere. Idem ferè dicendum de omnibus qui totam torridam habitant, quibus, vix sensibili augmento horæ omnes diurnæ ac nocturnæ sunt æquales.



In ipso autem meridie (nec enim altera vmbrae considerantur) nunc ad perpendicularum, nunc dextras nunc finistras

# Mundi.

18

stras vmbras habebunt. Dextras vmbras ad Septentriones constituūt poëtæ, ad Austrum finistras. Arabiam constituebant antiqui ultra æquatorem, in ipsa tamen torrida: & in eodem fere tractu Orcitas & Carmanos qui sunt iuxta sinum Persicum, ut autor est Ar- Lib. 3. ianus in Nearchi nauigatione. Vnde Lucanus.

*Ignorūtum vobis Arabes venisti in orbem,  
Vmbras mirati nemorū non ire finistras.*

*Tum furor extremos mouit Romanus Orcitas.*

*Carmanosq; duces, quorū iā flexus in Austrū  
Æther, non totā mergit tamē aspicit Arcton,  
Lucet, & exigua, velox ibi, nocte Bootes.*

Addit deinde Lucanus gentes etiam ulteriores, id est Æthiopes, quos constituit & in torrida sub Capricorno, & etiam extra torridam, de quibus ait.


*Æthiopūq; solū, quod non premeretur ab illa  
Signiferi regione poli, nisi poplite lapsa  
Ultima curvati procederet yngula Tauri.*

*Quasi dicat: Non solum Romanus fu-*

er

## De Sphæra

ror mouit Oreitas, & Carmanos qui paulum vltra æquatorē habitant, sed etiā illam Æthiopiæ partem quę vltra tropicum Capricorni est, & quę non ab villa Zodiaci regione prematur, nisi vngula tauri protensa eam premeret. Regiones vocat ipsa signa, quę in duo decim regiones distinguntur. Potro Taurus olim sitū habebat prope æquatorem, ubi nunc Aries est: vngulamq; extendebat vltra totam torridā, quę nunc etiam extra æquatorem Austrū versus protēditur. Polus autē hoc loco pro parte cœli, ut sāpe alias accipitur.



*Lib. 2.* dextræ Borealibus, sicut Australibus sinistræ. De Syene, quę est sub

## Mundi.

18


sub Cancro, dixit Lucanus.

*Atque umbras nusquam flectente Syene.*

**Q**uem immerito carpit Macro- *Lib. 2. c. 7.*  
bius, quia legit apud Lucanum: *Sonne.*  
nunquam flectente: quum  
legi debeat nusquam.

Qui vero habent Zenith inter Tropicum Cancri & Arcticum circulū (quales nos sumus) nunquam supra verticē solem habebūt, semperq; umbras dextras id est Septentrionales, aspiciunt. Illis autem, quorum vertex in circulo Arctico est, polus Zodiaci Zenith illis erit, eorumq; horizon erit ipsa Eclyptica.

At vero quum cœlum semper moueat, circulus horizontis subito in partes æquales intersectabit eclypticam vnde repente sex signa illis orientur, totidemq; demer-  
gen-



## De Sphæra

gentur. Tonus præterea tropicus Cancri crit illis supra horizontem: ac proinde Cancro gestante Solē, illis dies erit viginti quatuor horarum sive nocte: totidemque horarum erit nox, quum Sol in Capricorno detinebitur. Iuxta hunc circulum est Britannia insula de qua Iuuinalis.


*Et minima contentos nocte Britannos.*  
Quorum autem Zenith inter Arcticū circulum, & mundi polum, illi semper Zodiaci partem aliquam supra horizontem habebunt. Quarè qui unum signum nunquam obeuntem conspiciet, uno die per mensem integrum (dum Sol illud signum occupabit) fruentur: qui duo signa, per duos menses, & sic de reliquis. Signa vero reliqua quæ illis oriendi & occidere possunt, diuerso ac nobis modo illis oriuntur. Taurum enim Aries subsequetur. Quæcunque autem ibi Oriuntur prepostere, recte occident, & contra.

Qui

## Mundi.

20

Qui polum mundi pro vertice habet, & equatorem pro horizonte habebunt. Quibus semper sex mensium unus erit dies. Incipit enim Sol oriri illis in Arietis principio, sicut in principio Libræ per alios sex menses non conspiciebatur. Vnde fit ut integer annus unus unus dies ciuilis possit ab eis non cupari. Beneficio autem crepuscularum



solis claritate non  
quam priuantur. Est autem Crepusculum spaciū illud ante ortum,  
vel post occasum solis quandiu absentis Solis claritate perfriū possumus. Quod tempus partium decem & aucto sub horizonte astronomi signauerunt.

### *De quinque Zonis.*

**T**Otam verò terram quinque quasi redimitam & circundatam cingulis

*Crepuscu-  
lum.*

## De Sphæra

gulis seu fascijs aiunt : quartum mediā,  
quæ inter utrumq; tropicum contine-  
tur, medium dissecat æquinoctialis: &  
in obliquum Zodiacus amplexatur. Et  
quoniā Sol sub Zodiaco bis eam quo-  
cānis pererrat, torrida omnium cōsen-  
su fuit appellata . Duæ mox regiones,  
quæ orbes potius, quam Zonæ vocan-  
dæ erant, circulis Arctico, & Antartico  
circumscribuntur. Vtrisq; mūdi po-  
lus pro centro est, hasq; aiūt perpetua  
obriguisse pruina. Reliquæ duæ dicun-  
tur temperatæ quoniam inter arden-  
tissimam & frigidas essent collocatæ,  
quarum Aquilonarem nos incolimus,  
Antichthones Australem , quam An-


*Georg. i.* taxona Græci vocant. Virgilius.

Quinq; tenet Cœlū Zone: quarū una corusco  
Seper sole rubens, & torrida semper ab igni.  
Quā circū extrema dextra lēuaq; trahūtur  
Cerulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.  
Has inter, mediumq; duæ mortalibus ægris  
Munere cōcessæ diuñ: & via sectaper ambas  
Obli-

Obliquus qua se signorum verteret ordo.

Addit autem Ouidius.

*Metam. 1.*  
Vtq; duæ dextra cœlum, totidemq; sinistra  
Parte secant Zonæ, quinta est ardenter illis:  
Sic onus inclusum numero distinxit eodem  
Cura Dei, totidemq; plagæ tellure premūtur.  
Quarū quæ media est, non est habitabilis æstu:  
Nix tegit alta duas: totidē inter utrāq; locauit  
Temperiemq; dedit mista cū frigore flamma



Sed hanc Zonarum temperie tot poe-  
tarum Græcorum Latinorumq; carni-  
nibus celebratam comiētitiam esse,  
iam fere toto orbe peragrato, Hispani  
deprehenderunt.

D Dc

# De Sphæra

De partibus mundi dextris & sinistris.

ET quoniam s̄epe incidit mentio apud poetas & Astronomos de partibus mundi dextris & sinistris, & Servius in Georgicis & alijs aut falluntur, aut implicantur: ea nunc ratio breuiter erit expedienda. Poetæ cadentem Solem currusq; in mari demengere cū pientem solent considerare: dextras igitur Aquilonem, sinistras Austrū constiuerē. Astronomi longissimos stellarum cursus necesse habent indagare: Meridiem igitur spectabunt: hinc tu coniuncto dextras & sinistras. Contra Cosmographi, qui meridianos circulos ad ciuitatum distantias à polo semper ducunt. Aristoteles motum mundi à dextris esse dixit: hominem vtiq; considerans cuius vertex in Antarc̄icas partes dirigeretur, pedes vero in Boreales. Qui vero auguria captabāt: dextras ad meridiem partes (vt Titus Liuius inquit) leuasq; ad Septentrionē esse

# Mundi.

22

esse statuerunt. Et Cicero primo de divinatione querit: Cur à dextra coruus, à sinistra cornix faciat ratum. Vnde explicatur illud Virgilianum.

Ecl. 8.  
Eclog. 8.  
Aene. 2.

S̄epe sinistra causa prædixit ab ilice cornix. Item illud intonuit læuum: quæ hacten fuerunt obscura.

## De diuisione Climatū.

Climata Græce, Latine inclinatio-nes, aut plagæ vel tractus possunt appellari. Est autem clima regio inter-duos parallelos, inter quos dimidiæ horæ percipitur varietas. Antiqui, quia parvā orbis portionem cognoverūt, septem climatibus cognitam terram descripsérunt. Nunc autem, toto iam fere orbe peragrato & cognito, ab æquatore versus vtrumq; polum virginis quatuor climata sunt constituenda usque ad eum duntaxat parallelum, ubi sol per viginti quatuor horarum spaciū maximum diem sine nocte efficit. Post cum parallelum continua-

D 2 tæ

# De Sphæra

tex lucis incrementum per dies ciuiles numerandum est, quo usque ad integrum mensem perueniatur. Ex quo loco per mensium incrementa climata distinguimus, donec ad sex menses perueniamus. Cui rei tabellam subiimus, quæ ab æquatore ad Septentrio-  
nes Gradus & minuta, Horas & ho-  
rarum minuta contineat: tu  
contra Australem pla-  
gam ex his consi-  
derabis.

## Horæ

## Mundi.

23

### Horæ, Minuta, Gradus, Minuta.

-	12	30	8	20	-
-	13		16	27	
-	13	30	23	51	
-	14		30	22	
-	14	30	36		
-	15		40	56	
-	15	30	45		
-	16		45	32	
-	16	30	51	30	
-	17		54		
-	17	30	55		
-	18		55		
-	18	30	59	59	
-	19		61	16	
-	19	30	62	23	
-	20		63	20	
-	20	30	64	8	
-	21		64	49	
-	21	30	65	20	
-	22		65	46	
-	22	30	66	6	
-	23		66	19	
-	23	30	66	27	
-	24		66	30	

Tropicus Cancri.

Arcticus circulus.

Deinde fit supputatio per dies, tum  
deinde per menses.


D 3

De

*Terram esse mundi centrum, immobilem, & quasi punctum, si cum cœlo comparetur.*

**V** Bicunq; sis, vides cœli medium, quod euenire non posset, si terra versus aliquam vergeret mundi partē. Deinde quum terra sit summè grauis, quævis illius pars ad centrum tendit, Cœtrū est in cœli medio, ac perinde in

terræ medio, terra igitur in medio cœli est. Sed nullo melius argu-  
mento (inquit Plinius) hanc in medio esse



sitam comprobatur, quam æquinoctij paribus horis. Nam nisi in medio esset, æquales dies noctesq; inueniri nō pos- sent. Deprehenderunt idem Dioptræ, quæ vel maximè id confirmant: quum æquinoctiali tempore ex eadem linea

# De Sphæra

D E T E R R A I T E R V M.

*Terram esse globosam.*

**A** Boriente in occidētem constat esse tumorem, quia oriētali bus Sol & astra prius oriuntur, quam occidi. Luna item deficiens hoc ostēdit: ut canit Manilius.

*Liber. 6.2. Tē testem dat Luna sui glomerabilis orbis  
Quæ quū mersa nigris per noctē deficit umbbris;  
Non omnes pariter confundit fidere gentes.  
Sed prius Eo& querunt tua luminata terræ  
Post medio subiecta polo quæcunq; coluntur,  
Vtrima ad Hesperios infestis volueris alis:  
Seraq; in extremis quartiuntur gentibus æra.  
Quod si plana foret tellus, simul illa per omnes  
Deficeret pariter toto miserabilis orbe.  
Sed quia per teretē deducēta est terra tumorem,  
His modo, post illis appetit *Delia terris.**

Ab Austro vero in Septētriones ter- ram esse globosam, argumento est po- lium multis gētibus occultari, à quibus (si polū versus tēdant) videri possit.

# De Sphærá


ortus occasusq; cernatur: & solstitialis exortus per suam lineam, itemq; brumalis. Quæ accidere nullo modo possent, nisi in medio sita esset. Immobilē vero manere ima sede semper hærentem omnes ferè philosophi affirmat. Qum enim suo pondere & nutu fera tur ad infimum, id est, medium mundi locum, postquam illum adepta est, tan quam paribus examinata ponderibus nullam in partem mouetur: eaque ei demum naturalis est sedes, in qua nulla regens alitur & sustentatur. Persuadent etiam Mathematici terram ad vniuersi cœli complexum quasi punctū in star obtinere: quod centrum illi vocant. Alioquin horizon cœlum ipsum non diuideret medium, neq; noctes vñquam diebus pares essent. Nobis tamen ( qui eam immensam existimamus ) sic traditur dimetienda.

*De ambitu terræ, & ad centrum distâcia.*  
Ptolemæus & Alfagranus ambitum  
terræ

# Mundi:

25

terræ centum & octoginta millium stadium constituant: vnicuique graduum quinquaginta stadia deputando. Nostri vero decē & septem Hispanas leucas vnicuique gradui tribuunt. Quod si verum est, facile quot leucis tot⁹ orbis terra rum contineatur cli cies: quū partes magnorum circulorū ter cētum sexaginta enumerentur. Deinde si velimus diametrum totius terre indagare, Mathematici diametrum septem partes continere, carum quæ sunt in circulo viginti duæ, docuerunt. Hoc est, si circulum quenlibet in viginti duas æquales secespar tes,



D 5      tes,

## De Sphæra

tes, dēmpra vna parte, trcs septenarij relinquuntur, quorum quemlibet diametrum circuli esse dices. Hac etiam dimensione colliges, quantum per semidiametrum à cōtro terræ distemus.


### De Solis & Lunæ defectu.

**R**Eliquum est ut Solis Lunæque labores, idest eclipses explicemus. Eclipseis Solis nihil aliud est quam interpositio Lunæ inter oculos nostros & Solem. Eclipseis vero Lunæ sit, quum terra inter Solem & Lunam interiicitur. Sed quomodo hæc siant paucis ac cipe. Ab ecliptica, quæ medium secat Zodiacum, nunquam Sol discedit: si idem Luna faceret, in quolibet mense Solis & Lunæ eclipsim aspiceremus. Sed quia Luna ab ecliptica per gradus quinq; potest discedere, sēpe contingit ut residente Sole verbi gratia in Căcro, ipsa eō tantum salutato ultra tropicum per quatuor aut quinque gradus separata præteruolet. Eodemque modo

## Mundi.

26

modo quum umbra terræ (quæ nox est) in eclipticam directe feratur, sēpe fit ut luna non tacta umbra terræ iter



peragat; nam si per medianam umbram mearet, obscuraretur. Debemus etiā animo percipere in duobus eclipticæ locis


## De Sphæra

locis transire in transuersum circulum alterum, qui pari interuallo secet eclipticam, per quem semper Luna meat. Commissuras horū circulorum ex altera parte caput Draconis, ex altera caudam nominamus. Hæc etiam puncta per cœlū ita mouentur, vt decem & nouem ferè annis cursum conficiāt. Solis igitur eclipsis continget, quum Sol & Luna fuerint in capite, vel in cauda draconis: lunæ autem si alter in capite, altera fuerit in cauda vel contra, vt figura ostendit.

*Cur facies Lunæ variæ sint.*

**Q**uam luna semper media illustretur à sole, quæri solet cur modo plena, modo tuberosa, modo media, modo tenuis adspiciat. Cuius rei causam accipe. Quū Sol in oriente est, Luna autem in occidente, oculus noster, qui in medio est, totam Lunarem partem à sole illustratam potest aspicere. Vbi vero à diametro secede-

re incipit, nobis imminui videtur, quia pars illustrata per obliquum auertitur, atque ita nostris oculis eripitur. Mox quo magis soli propin



qua fit, superior quidem, vt ante, pars illustratur: inferior vero, magis ac magis evanescit, aut obscuratur.

*F I N I S.*

S A L M A N T I C Æ,  
Ex officina Ildefonsi à Terranova & Neyla.  
M. D. LXXXIX.